

~~C. H.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

11-58.

SIGNAT. 1515 CCCXIII.

DE
IRREGULARITATE
EX IGNORANTIA
PROGRAMMA
Q. V. O.
AD PRAELECTIONES PVBICAS
IN
IVRISPRUDENTIAM ECCLESIASTICAM
VNIVERSALEM
INVITAT
GEORG. GOTHOFR. KEVFFEL
MOR. ET POLIT. R. P. O.

HELMSTADII
EX OFFICINA SCHNORRIANA.



O ptauerunt iam pridem viri eruditi, Ciues Generosi
atque Nobilissimi, vt ex instituto et peculiari tra-
ctatu iurisprudentia ecclesiastica vniuersalis con-
scriberetur, in qua omnia iuris ecclesiastici capi-
ta, ex solis principiis iuris naturae, abstrahendo a
principiis iuris canonici et legum positivarum elaboraren-
tur; recte iudicantes, operam hanc multam vtilitatem allat-
turam, tam ad meliorem cognitionem, quam emendatio-
nem iurisprudentiae ecclesiasticae particularis. Horum vo-
tis ac desiderio satisficeri coepit, tum ab aliis, tum a Clarissi-
mo CANZIO, qui systemati philosophiae practicae, quo di-
sciplinas morales omnes, etiam eas, quae in forma artis
nondum hucusque comparuerunt, perpetuo nexu tradi-
dit, luculentam tractationem inseruit, iurisprudentiam ec-
clesiasticam vniuersalem, publicam et priuatam sosten-
tem. Postquam superiori anno varias partes philosophiae
practicae explicaui ad ductum CANZII, cuius paecepta
aptum

aptum mihi fundamentum praebere censeo; ad omnes
partes munera mihi demandata curate explendas, hoc se-
mestri aestiu publicis eruditorum votis expetitam, & in
se grauissimam iurisprudentiae ecclesiasticae vniuersalis
disciplinam, praelectionibus publicis explanare consti-
tui. Vix dubitare licet, gratam multis et acceptam
futuram esse operam, quae discussioni veritatum graui-
um et utilium a me destinatur, forte tamen nec superua-
caneum erit, de necessitate iurisprudentiae ecclesiasticae
vniuersalis et posituae, nec non de methodo tractandi, ad
pleniorem instituti mei commendationem quaedam pree-
fari.

Societas sacerorum, quae ex cultu diuinitatis externo
oritur inter eos, qui eandem fidei normam amplexi sunt,
regenda est certis legibus, ut omnia ordinate siant, et ut
nihil in detrimentum salutis publicae suscipiatur. Leges
illae partim fluunt ex norma iustitiae vniuersali, hoc est
ex praecepsis naturalibus, partim ex constituto veniunt, et
praecripto illorum, qui ius circa sacra moderantur. Ap-
plicatio legum naturalium ad res sacras, et negotia socie-
tatis ecclesiasticae, constituit iurisprudentiam ecclesiasti-
cam vniuersalem, quae praecipue inquirit in habitum rei-
publicae et ecclesiae erga se inuicem, et quomodo con-
cordia sacerdotii et imperii obtineri debeat, demonstrat.
Haec res inter Christianos plurimum difficultatis habuit, ob
iura exorbitantia, quae clerus in praeiudicium maiestatis
ciuilis sibi vindicauit, nec aliter quid iustitiae conueniat,
iudicari potest, quam secundum principia iuris huius vni-
uersalis. Disputationem illam, quae quasi de finibus vtrius-
que potestatis regendis instituitur, vix explicabilem esse censem.
Petrus de MARCA, in prima praefatione ad libros de con-
cordia sacerdotii et imperii: *Instituti mei non est*, inquit,
bis dissertationibus sacerdotii et imperii iura metiri, et fines diri-

venerè, vel adiudicationib⁹ portionem cuique suam assignare. Huic enim disputationi, quae dominii quaestione attingit, quaeque di-
vini et humani iuris callentissimum tractatorem expectat, fateor me omnino viribus imparem. Nec fortasse exercitatissimo theolo-
giae et iuris antecessori res ista feliciter cederet. Debebat sane
homini, inter fauorem aulae regiae et pontificiae fluctuan-
ti, ac duobus dominis seruire cupienti, tractatio horum iu-
rium pericolosissima videri, a quo metu immunes sunt,
qui legibus aulae romanae non constringuntur: interim
experiendo discent omnes, in stabiliendis certis principiis,
quae in singulis casibus usum habere possint, magna cau-
tione opus esse, ne iuribus imperantium et reipublicae ab
una parte derogetur, sed et ne libertati conscientiarum, ne
veritati, ne pietati promouenda, ne iuribus ecclesiae ali-
quid contrarium statuatur. Sicut enim ecclesia ad rem
publicam, ita vicissim res publica ad ecclesiam certum ha-
bet respectum, et princeps in legibus circa sacra ferendis,
se accommodare debet rationibus et institutis illius religio-
nis, quam profitetur ecclesia.

Regulae illae generales, quae per ius naturae tra-
duntur, uti in regimine ciuitatis solae non sufficiunt, ita
etiam in ecclesiasticis, ex necessitate determinationis specia-
lieris, oriuntur leges posituae, quae personis ecclesiasticis
sua iura atque officia, negotiis certam formam assignant.
Cum ecclesia Christiana a persecutionibus gentilium libe-
rata, sub tutela imperatorum fidelium, statum suum exter-
num componeret, summi sacrorum antistites conuentus
quosdam celebrare incipiebant, qui concilia vocabantur,
in eisque communi consilio statuebant regulas, siue consti-
tutiones de politia ecclesiastica, quibus canonum appellatio
fuit attributa. Haec canonum praescripta ante oculos,
habere oportebat omnes, qui rem sacram administrabant,
et peritia canonum erat pars eruditioinis, in clericis requiri-
tae.

tae. Qui ea desituebatur, ille iuxta plurimi canonistarum, laborat irregularitate ex ignorantia, ob quam inhabilis censetur, qui muneri ecclesiastico praeficiatur. Ratio appellationis est, quod variae virtutes et qualitates, quibus clerici debebant esse ornati, per regulas ecclesiasticas determinatae fuerunt, cui igitur aliquid deerat, quod tamen prescriptum regulae desiderabat, ille dicebatur irregularis, eoque ipso excludebatur ab officio ecclesiastico suscipiendo. Ex pluribus irregularitatis speciebus, ad institutum meum pertinet tantum irregularitas quaे dicitur *illiterorum*, vel ex *defectu scientiae*, vel ex *ignorantia*, paucis hic explicanda. Non eadem in omnibus clericis desiderata fuit scientia, sed prout vel in ordinibus minoribus, vel in ordinibus sacris, vel in sacerdotio fuerunt, ita etiam variarunt gradus scientiae, ad regularitatem eorum necessariae. Eorum itaque, qui in sacerdotio constituti dicuntur, scientia, secundum antiquiorum seculorum disciplinam duobus continebatur capitibus, scripturae sacrae et canonum peritia, quae ambo tanquam maxime necessaria, saepè coniunctim, saepè sigillatum praecepta leguntur. Sic in *Concilio Toletano IV.* can. 24. quem citat *GRATIANVS D. 38. can. 1.* legitur: *Ignorantia mater cunctorum errorum, maxime in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis suscepereunt. Sacerdotes enim legero sanctas scripturas frequenter admonet Paulus apostolus, dicens ad Timotheum: Attende lectioni, adhortationi et doctrinae, et: semper permane in his. Sciant igitur sacerdotes scripturas sanctas, et canones, ut omne opus eorum in praedicatione et doctrina consitiat, atque aedificant cunctos, tam fidei scientia, quam operum disciplina.* Sed de necessitate studii sacrarum litterarum non opus erit plura dicere, cum res per se pateat: quid autem veteres senserint de canonum peritia, aliquor adhuc declarabo auctoritatibus. Ecclesiae *AFRICANÆ* sanctionem exhibet canon 2. *Concilii Carthaginensis III:* *Placuit ut ordinandis*

episcopis vel clericis prius ab ordinatioribus suis decreta concilio-
rum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta con-
ciliii fecisse poeniteat. Vsum ecclesiae GALLICANAE de-
clarat can. 5. concilii Aurelianensis IV. Parochiani clericis a
pontificibus suis necessaria sibi statuta canonum legenda perci-
piant, ne se ipsi, vel populi, quae pro salute eorum decreta
sunt, excusent postmodum ignorasse. Et in concilio Matisco-
nenſi I. can. 6. certa tempora praefinita, quibus canonum
lectioni vacandum erat. Ut a feria sancti Martini usque ad
natale Domini, secunda, quarta, et sexta Sabbathi ieiunetur, ---
in quibus diebus canones legendos esse speciali definitione sanc-
imus, ut nullus se fateatur per ignorantiam deliqueret. De mori-
bus HISPANORVM addendum est iis, quae paullo ante
ex Concilio Toletano attuli, quod parochis, quando ordi-
nabantur, dari debuit libellus, quo canones ab iis obser-
vandi, continebantur. Ita nempe in eodem concilio Tole-
tano IV. can. 25. iubetur: Quando presbyteri in parochiis
ordinantur, libellum officiale a sacerdote suo accipiant, ut ad
ecclesias sibi deputatas instructi succedant, ne per ignorantiam
etiam in ipsis diuinis sacramentis offendant. Ad ITALIAM
pertinet canon COELESTINI, allatus a Gratiano D. 38,
can. 4. Nulli sacerdotum licet canones ignorare, nec quicquam
facere, quod patrum possit regulis obuiare. Quam venerabi-
lis apud veteres GERMANOS fuerit canonum auctoritas,
testatur integer liber Reginonis Prumionis, de disciplina eccl-
esiastica veterum, praesertim Germanorum, quippe quem iussu
RATHBODI, archiepiscopi Trenirensis, in vsum ecclesia-
rum germanicarum, et ad instructionem clericorum com-
pilauit, ideoque canones conciliorum germanicorum, et
capitularia Caesfarum eidem inseruit; vt de laboribus a-
liorum, ad canonum peritiam promouendam suscepit, ni-
hil dicam, plures enim sunt, et ex scriptoribus historiae iuris
ecclasiastici addiscendi.

Olim



Olim itaque, ut per hactenus dicta perspicue a me probatum esse arbitror, scientia canonum, vel, ut nunc loquimur, iurisprudentiae ecclesiasticae, fuit pars studii theologici, et illorum ignorantia pariebat irregularitatem, susceptionem ordinum impedientem. Censuit etiam recentiori aeuo ^{s A M} MARESIVS, Theologus Groeningensis, studium iuris canonici magis theologicum, quam iuridicum esse. Interim praxis theologorum plerumque tendit in contrarium, quippe qui scientiam suam fere vnicē ponunt in sermonibus ad populum habendis. Iureconsulti formant regulam: iudicare quid iustum vel iniustum sit, etiam in causis ecclesiasticis, solis competere iureconsultis, nec theologos qua tales, hoc sibi iudicium sumere posse. Verum non id agitur hoc axiomatico iureconsultorum, ut Theologos arcere cupiant a studio iurisprudentiae ecclesiasticae, quos potius ad eam addiscendam subinde excitant, representatione vtilitatum, quas inde percipere possunt.

Ego consultum esse duxi ad regulam ICtorum allegatam hoc loco prouocare, ut iurium cultores inde intelligent, iurisprudentiam ecclesiasticam vniuersalem ad se magnopere pertinere, et fundamenti loco ponendam esse. Quando enim ita praecipiunt Doctores: iudicare quid iustum vel iniustum sit in causis ecclesiasticis, solis competere iureconsultis, quomodo reprehensione vacabunt futuri iustitiae sacerdotes, si, quid ipsa lex naturalis circa ecclesiam praecipiat, et vnde omnes leges circa sacra in republica dijudicari debent, ignorare non verentur? Qui vero sacris theologiae ita se addixerunt, ut munus aliquando publicum in ecclesia gerant, forte aliquid compunctionis in animo inde sentient, si ex praecedentibus perceperunt, iuxta multorum seculorum et nationum christianarum disciplinam, irregulares ob ignorantiam habitos fuisse, qui ius ecclesiasticum, quale tum erat, ignorarent. Sed quis praeterea dubitaret,

etiam

etiam theologorum esse, ut rectas notiones concipient de natura atque indeole ecclesiae, de habitu eius ad tempuplicam, de potestate ecclesiastica, de iure principis circa sacra, de limitibus potestatis ecclesiasticae et politicae, de iure et officio doctorum et auditorum in ecclesia, de rebus ad ecclesiam pertinentibus, et quae sunt alia, de quibus omnibus tractabitur in iurisprudentia nostra vniuersali,

Methodum tractandi conabor auditorum utilitatibus ita accommodare, ut cum norma regularum iuris, historiam rerum gestarum coniungam. Ante omnia perspicue proponenda et firmando erunt praecepta ab auctore tradita. Ea deinceps ita illustrabo, ut ex antiquitate ecclesiastica, ex canonibus conciliorum, ex sententis patrum, ex decretis pontificum, ex iure ecclesiastico protestantium ostendam, quomodo leges christianorum positiuae, a norma legum vniuersalium vel aberrauerint, vel ad eam rursus reuocatae sint. Spero me hac ratione effecturum, ut vberrimos fructus ex opera a me nauanda percipere licet.

P. P. in Acad. Iulia d. XV. April.

M D C C X L I I .




Ung. VI 58 (1)



56,

VDI 7
Sep. 2000 Pd.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow


Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13



36

DE
IRREGVLARITATE
EX IGNORANTIA
PROGRAMMA
Q. V. O.
AD PRAELECTIONES PVBLICAS
IN
IVRISPRVDENTIAM ECCLESIASTICAM
VNIVERSALEM
INVITAT
GEORG. GOTHOFR. KEVFFEL
MOR. ET POLIT. P. P. O.

HELMSTADII
EX OFFICINA SCHNORRIANA.